




x 21





DE  
**CATARRHO**  
**SUFFOCATIVO**  
 IN MORBIS ACUTIS MALIGNIS

\*\*\*\*\*

PRO GRADU DOCTORIS  
 SOLLEMNITER IMPETRANDO

DIE XXX SEPTEBRIS MDCCLX.

H. L. Q. C.

PUBLICICE DISSERTET

AUCTOR

IOANNES GUTSLEFF

LIVONVS.



HALAE


STANNO SCHNEIDERIANO

7.

DE  
CATARRHO  
SVEFOCATIVO  
IN MORBIS ACUTIS MALIGNIS

PRO GRADU DOCTORIS

IOANNES GUSTAFF



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPI ET DOMINO  
D O M I N O  
P E T R O  
F E O D O R O W I T Z  
MAGNO OMNIVM RVSSIARVM DVCI  
HEREDI NORVEGIAE DVCI SLESVICENSIVM  
HOLSATIAE STORMARIAE ET DITMARSIAE  
COMITI OLDENBVRGI DELMENHORSTIAE  
ET RELIQA.

PRINCIPI ET DOMINO MEO  
LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

D O M I N O

P E T R O

F E O D O R O W I T Z

MAGNO OMNIUM RUSSIARVM DVCI

HEREDI NORVEGIAE DVCI SIBIRIENSIVM

HOLSATIAE STORMARIAE ET DITMARIAE

COMITI OLDENBURGI DELMENHORSTIAE

ET RELIQVA

PRINCIPI ET DOMINO MEO

LONGE CLEMENTISSIMO



SERENISSIME AC POTENTISSIME  
P R I N C E P S  
DOMINE CLEMENTISSIME.



*Tot tamque illustribus factis de*  
**TE** *iam constat, SERENISSIME*  
*ac POTENTISSIME PRINCEPS, certo*  
*futurum esse, ut amplissimae terrae*  
*Russicae, ad summam felicitatem aliquando*  
*perue-*

perueniant. Vnde enim gentis cuiusdam  
auctoritas, vnde eius salus magis deriuanda  
erit, quam a Principis, a quo illa regitur,  
sapiencia, clementia, rerumque gerendarum  
industria? Hisce praeclaris animi virtu-  
tibus, TE quam maxime exornatum  
veneratur populus, gloriosissimo sceptro  
Russico subiectus, numquam immemor  
gratiarum Deo T.O.M. ideo persoluenda-  
rum, quod saluti suae adeo liberaliter  
prospexerit, sibi benigniter concesso  
Principe, quo nullus alius dignior esse  
poterat olim successor AVGVSTISSIMAE  
ELISABETHAE PETROWNAE,  
DOMINAE tam SAPIENTISSIMAE, quam  
CLEMENTISSIMAE. Meritis igitur TVIS  
tribue, OPTVME PRINCEPS, si sceptro  
Russico subditos eo iam conari deprehendis,

vt

*vt alter alterum publicis animi in TE  
piissimi testificationibus superet. Huius  
numeri cum etiam sit praesens charta  
academica, quam TIBI, DOMINE  
CLEMENTISSIME, non temeritate  
quadam impulsus inscribo, sed animi  
pietate quasi inflammatus consecro:  
submississime rogo, vt publicum istud  
sanctissimae meae deuotionis erga TE docu-  
mentum, quod tenuis quidem, fida tamen  
musa struere volebat, pro ea, quae in  
TE summa est, clementia, benignissima  
fronte intuearis! Velit supremum Numen  
TE, SERENISSIME POTENTISSIMEQVE  
PRINCEPS, omni prosperitatis genere  
florentissimum, vna cum SERENISSIMA  
DOMO TVA, per longissimam annorum  
seriem conseruare; vt gloriosissimo TVO  
exem-*

*exemplo gentes edoceantur, quam beata  
illarum vita sub auspiciis boni Principis  
esse possit! Inter eiusmodi ardentissimas  
preces, summa cum animi pietate  
aeternum perseverabit,*

SERENISSIME AC POTENTISSIME  
P R I N C E P S  
DOMINE CLEMENTISSIME,  
CAESARAE TVAE CELSITATIS,

Dab. Halae Saxonicae  
III. Calend. Octobr. clolccclx.

OBEDIENTISSIMVS ATQVE SVBMISSISSIMVS  
SERVVS  
IOANNES GVTSLEFF.  
LIVONVS.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

CATARRHO SUFFOCATIVO  
IN MORBIS ACVTIS MALIGNIS.

---




PRAEFATIO.

*Sicuti medicum rationalem clara, et quantum fieri potest, etiam distincta omnium morborum cognitione imbutum esse oportet: ita ipsi praesertim studendum erit, ut illos morbos penitius cognoscat, qui vel frequenter, vel ita inuadunt mortales, ut horum vita inde maximo periculo subiaceat. Haec est ratio, quam in eligendo themate inaugurali secutus sum. Catarrhus enim suffocatiuus in morbis acutis malignis ad frequentissimos periculosissimosque affectus pertinet. Saepius tristissima huius rei exstant testimonia, vulgo quoque a posteriori haud ignota. Sed medici erit ex ipsa morbi, hocque affecti corporis indole, de illius periculo iudicare; et hoc eo solidius discutiatur, quo certius est, quod huic negotio valdopere inseruiat eiusmodi morbi distincta cognitio. Quomodo idem quoque in catarrho suffocatiuo perficere possit medicus: de eo iam pro cognitione mea et viribus mihi concessis impraesentiarum*

## PRAEFATIO

ciarum differendum erit. Facili nunc vero negotio apparet, totam hancce tractationem in duo commode diuidi posse capita, theoreticum nimirum et practicum. Ad stabiliendam theoriam catarrhi suffocatiui, haud inutile fore existimaui, ea, quae ad pulmonum, tamquam partis affectae, structuram pertinent, praemittere. Qua in re praeter ea, quae solidissimis Ill. BOEHMERI praelectionibus anatomicis debeo, potissimum Perill. de HALLER secutus sum. Ad dogmata vero pathologica quod attinet, haud immemor fidelissimae institutionis, ab aliis Praeceptoribus optime de me meritis perceptae, systema Excell. atque Exper. D. D. NIETZKI (quod utinam publici iuris mox fieret!) ad normam mihi praecipue proposui. Notio catarrhi suffocatiui ansam mihi praebuit, ad deducendum ex illa tam causas, quam effectus huius morbi. Deductas inde propositiones cum obseruationibus comparaui, ad quas colligendas, duce modo laudato Praeceptore, numquam satis colendo, frequentissima mihi erat occasio, illasque cum his accuratissime conuenire expertus sum. Therapiam tandem ad catarrhbum suffocatiuum in casu proposito applicandam ex iisdem principiis deduxi, quibus innititur morbi huius dirissimi theoria; hoc etiam momento per experientiam probato.

CAPVT I.



## CAPVT I.

DE

O R T V  
CATARRHI SVFFOCATIVI  
IN MORBIS ACVTIS MALIGNIS.

## §. I.



Qui de morbo quodam distincte commentari animum suum induxit, illum sine dubio oportebit rationem habere et compositionis, quae in ea parte corporis humani obtinet, ad quam morbus explicandus refertur, et obseruationum, quae testantur, quando idem ipse morbus subnasci solet. Ex quo iam ordo necessarius apparet, quem in proponendo nunc sequar, explicaturus ortum catarrhi suffocatiui in morbis acutis malignis. Antequam igitur modum indicare licebit, quo fieri possit, vt in morbis acutis malignis catarrhus suffocatiuus oriatur, mihi prius *differendum erit partim de fabrica pulmonum aliisque organis, quibus natura ad respirationem utitur; partim de effectibus catarrhi suffocatiui et de illis casibus, ubi hunc dirissimum morbum possibilem esse colligere licet,*

Traſation  
ordo.

A

illum-

*illumque etiam corpori ingenerari experientia docuit; partim de quibusdam morborum acutorum malignorum qualitatibus, in ratione ad catarrhum suffocatiuum: ne principiis careat haec mea dissertatio, quibus opus est ad rite intelligendum hunc morbum infensissimum vitae humanae.*

## §. II.

Pulmonum  
descriptio.

*Pulmones sunt viscera duo, in vtroque latere thoracis sita, cor quasi in medio continentia, connexa cum sterno et vertebris beneficio mediastini, cum corde ope vasorum pulmonalium, et denique cum arteria aspera.*

Infra constabit, quod pulmones duo potius distincta viscera, quam vnum constituent.

## §. III.

Figura.

Referunt pulmones *figuram conoideam*, quae accurate respondet cauo pleurae, in quo continentur. Optime id videre licet, pulmonibus flatu distentis. Basis enim pulmonum ob subiacens diaphragma est concaua, et quidem pulmonis dextri sinistro latior breuiorque, sinistri angustior dextro, magisque descendens; apex vero obtusus apparet, et terminatur ad primam costam. De reliquo pulmo dexter sinistro maior est, idque ideo necesse, quoniam saccus pleurae

rae



rae dexter maior obseruatur sinistro, atque iste notabili ex parte a corde repletur.

§. IV.

Commode diuidi possunt pulmones in *dextrum* <sup>Diuisio.</sup> et *sinistrum*. In pulmone *dextro* tamquam maiore sinistro duae reperiuntur incisiones, quibus ille in tres lobos dispecitur, in inferiorem nimirum eumque maiorem, in superiorem priore minorem, tandemque in medium nunc enarratis minimum. Ad pulmonem vero *sinistrum* dextro minorem quod attinet, ille vnica incisione in duos diuiditur lobos, superiorem nempe maiorem, et inferiorem minorem. Omnes hi lobi in plures alios minores minimosque disperguntur, atque omnes et singuli a membrana inuestiuntur, quae pleurae continuatio est.

A veteribus pulmones pro vnico tantummodo habebantur viscere, vngulis quodammodo bubulis simili, atque ideo in duos lobos magnos diuidebantur. Cum vero hi lobi non per substantiam, sed per vasa tantum inter se cohaerent, accuratior erit distinctio in duos pulmones. Eadem est ratio coniunctionis renum, quos quisque non pro vno, sed duobus agnoscit visceribus.

§. V.

In determinanda pulmonum *substantia* <sup>Substantia.</sup> celeberrimi auctores inter se dissentiunt. CELSO et PLINIO erat *spongiosa*. MALPIGHIVS et alii illam esse

volebant *vesicularum*. Quam denique HELVETIVS in *act. Academ. scient. Parisin. de a. 1718 cellulosa* esse probavit, et magis confirmavit perillustri de HALLER in *prim. lin. Physiol. §. CCLXIV*. Atque huic vltimae sententiae MECKELIVM quoque, anatomicorum facile principem, accedere constat. Inter ista opinionum diuortia in eo tamen omnes conueniunt, quod pulmonum substantia sit *vasculosa, ex vasis aëreis, sanguiferis et lymphaticis composita*, quibus adhuc *nerui* addendi sunt. De singulis his iam explicatius agendum erit in sequentibus.

### §. VI.

Vasa aërea  
pulmonum.

*Vasa aërea* constituit canalis ille sic dictus aëreus, quo pulmones ab omnibus aliis visceribus facile distingui possunt, et qui alias *aspera arteria* vocatur. In canalis huius ad pulmones extensi parte suprema, quae *larynx* dici solet, apertura quaedam, ab anatomicis *glottis* vocata, figurae fere ellipticae conspicitur. Constat vero iste canalis ex circellis, siue annulis imperfectis, cartilagineis vnus supra alterum positus, ope membranae ligamentosae robustae atque elasticae, fibris muscularibus non plane destitutae, inter se cohaerentibus, quorum inferiores superioribus minores sunt.

### §. VII.

## §. VII.

Defectum circellorum cartilagineorum (§. anteced.) supplet externe cellulosa interius vero *duplex stratam fibrarum muscularium*, quarum transuersales utpote robustiores cellulosam, longitudinales cavitatem tracheae respiciunt: a prioribus circellorum liberi fines coniunguntur; posteriores vero a circellis superioribus ad inferiores descendunt.

Eiusdem materiae continuatio.

## §. VIII.

Inuestitur tota asperae arteriae interna superficies *membrana* quadam *sensilissima*, innumerabilibus paruis acinis glandulosis instructa & ab illis perforata, e quibus continuo liquidum quoddam mucosum lenissimum exsudat; ut illa a variis aeris iniuriis defendatur, totusque canalıs lubricetur.

Eiusdem arteriae continuatio.

## §. IX.

Aspera arteria circa supremum thoracem in duos ramos diuiditur, quorum vterque suum pulmonem ingreditur, ibidemque in innumeros ramulos diuisus totam horum viscerum substantiam perreptat. *Bronchiorum* nomine insigniri solent isti rami, fabricae ab illa haud dissimilis, qua arteria aspera gaudet (§§. VI VII et VIII); excepta cartilaginea substantia, quae eo magis in bronchiis decrescit, quo amplius illa ab aspera

Bronchia eorumque fabrica.

arteria distant, et quo profundius pulmonibus insinu-  
antur, vbi solam membranaceam texturam exhibent.

§. X.

Vasa sangui-  
era pulmo-  
um.

Quod porro *vasa sanguifera* pulmonum concer-  
nit, sunt illa vel *propria*, vel *communia*, vtraque vero  
vel *arteriosa*, vel *venosa*. *Propria* illa dicuntur, quae  
pulmonum nutritioni potissimum inferuiunt. Quor-  
sum pertinent *arteriae vnaeque bronchiales*: illae  
partim ex arteria aorta, partim ex arteriis intercosta-  
libus proueniunt; *hae* vero tam *venae azygos*, quam et-  
iam *venis intercostalibus* inseruntur. *Vasa* haec cum  
asperae arteriae ramis ita migrant, vt, ad eorum  
membranas facto aditu, arteriae cum arteriis pulmo-  
nalibus, et venae cum venis communicent. Confr.  
*Perill. de HALLER in primis lineis Physiolog.*  
§. CCLXXI. Vena bronchialis multis quidem dubia  
esse videbatur, obseruauit vero illam cum multis aliis,  
*Ill.* quoque *BOEHMERVS*, Praeceptor omni honoris  
cultu aeternum prosequendus: vid. *Ej. Obseruat. ana-  
tomic. rarior. Fasc. I. Praefat. No. XIX. p. XII.* Sed  
*vasorum communium* nomine veniunt illa *vasa*, quae  
ad circulationem sanguinis per pulmones destinauit  
natura, eaque sunt *arteria* et *vena pulmonalis*. Illa  
e dextro cordis ventriculo egreditur, hocque modo  
per pulmones dispergitur, vt ex duobus illis ramis,  
in

in quos prius secessit, innumeri alii enascantur, pulmonibus sese insinuantes. *Haec eodem modo in pulmonibus diuisa, et in quatuor magnos ramos collecta, formato sacco, in auriculam cordis sinistram terminatur. Horum vasorum duplicis generis ramuli in ultimis cellulosae spatiis repunt, atque inter se communicantes rete mirabile vasculosum MALPIGHII producunt*

Cuius interest vberiore descriptionem legere, ille adeat WINSLOWII *exposit. anatomic. struct. corp. human. tom. IV. part. I. edit. lat. pag. 221. §. 100. sequ.*

### §. XI.

*Vasa lymphatica* pulmonum in horum superficie reticulo quodam efformato, ad glandulas oesophago adiacentes et ductum thoracicum tendunt. Confr. *Perill. de HALLER l. c. §. CCLXXIII.* Haec vasa in pulmonibus brutorum oculis magis conspicua redduntur, teste WINSLOWIO l. c. §. 125. pag. 228.

Vasa lymphatica pulmonum.

### §. XII.

De *neruis* tandem differendum erit, quibus natura largiter donauit pulmones. Oriuntur vero pulmonum nerui a pari vago eiusque recurrente, et ab intercostali paris sexti, quibus adhuc nonnulli rami a plexibus cardiacis accedunt. Ducuntur illi pro more filo-

Pulmonum nerui.

florum per integram pulmonum substantiam. Nam omnes bronchiorum vasorumque sanguiferorum ramulos comitantur; supra cellularum parietes distribuuntur, cunctisque membranaceis partibus insinuuntur. Confr. WINSLOWIUS *l. c.* §. 124. p. 227. 228. et Thom. WILLISIVS *anat. cerebr. cap. 23.* Probat idem iudicio suo *Perill. L. B. v.* SWITEN in *Commentar. in M. BOERHAAVII aphor. §. 75. p. m. 112.* *Laryngis* inquit, *asperae arteriae, interna superficies, totum cauum aëreum pulmonis adeo irritabiles nervos habet, vt nisi muco tegerentur, ab ipso aëris attacku continua fieret tussis.*

## §. XIII.

Scholion.

Tantum de fabrica pulmonum hucusque disserui, quantum instituto praesenti sufficit. Sequitur vt nunc quoque ex Physiologicis necessaria quaedam ad scopum nostrum de respiratione repetantur; quippe quam non mediocriter laedi in catarrho suffocatio constat.

## §. XIV.

Definitio respirationis.

*Respiratio* est reciproca aëris in pulmones ingressio et expulsio. Prior actus *inspiratio*, posterior *expiratio* dicitur.

## §. XV.

## §. XV.

*Inspiratio et subsequens exspiratio fit alterna* Confectari-  
um.  
*thoracis dilatatione et contractione (§. anteced.)*

## §. XVI.

Ex physicis patet, aërem esse corpus fluidum, Aëris qual-  
itates.  
elasticum, vndique terrae circumfusum, quod vel ab  
incumbentibus superne columnis, vel lateraliter pres-  
sum quaecunque corporum spatia eo maiore vi subit,  
quo minus illi resistitur.

## §. XVII.

Pulmones in homine respirante semper aëre sunt Conditio  
thoracis su-  
ingressu a-  
ris in pulm-  
nes.  
repleti. Sed aër in pulmonibus contentus cum aëre  
externo est in aequilibrio. Si itaque aër externus in  
pulmones venire debeat, necessum erit, vt istud ae-  
quilibrium tollatur, ne aër in pulmonibus aëri ex-  
terno nimis resistat (§. XVI.) Quoniam vero sub  
dilatatione pectoris aër in pulmonibus contentus in ma-  
ius spatium quam antea occupabat, effunditur (per  
princip. Physiolog.); hinc rarefit, atque aëri externo  
minus resistere potest (per princip. Physic.): conse-  
quenter tanta eiusdem quantitas pulmones ingredi de-  
bet, quanta sufficit ad conciliandam aëri in pulmoni-  
bus nunc contento eandem densitatem cum aëre ex-  
terno. Vnde patet, *dilatato pectore, aërem pulmones  
ingredi debere.*

B

§. XVIII.

## §. XVIII.

Vires thora-  
em amplian-  
es.

*Dilatatio autem pectoris fit, quando actione musculorum intercostalium thorax eleuatur, costae dextrae a sinistris recedunt, et ita diameter a costis dextris ad sinistras, et a sterno ad vertebrae augetur. Quamuis ista pectoris dilatatio satis notabilis sit: illa tamen nondum ad inspirationem, praesertim in viris, sufficit. Vnde pectoris quoque diameter perpendicularis insigniter augeri debuit. Proficiscitur id ab actione musculorum diaphragmatis, qua suborta diaphragmatis fornicatus situs in planum mutatur, atque ita diaphragmate ipso versus viscera abdominalia valde retracto, cavitatis thoracis ampliatur.*

## §. XIX.

Vires accessio-  
riae sub ma-  
iore inspira-  
tione.

Haec diaphragmatis contractio (§. ant.) sola fere iam tantae in homine sano, quieto, pectoris dilatationi sufficit, quanta ad inspirationem requiritur, cf. *Perill. de HALLER l.c. §. CCXC. In maioribus vero inspirationibus praeter diaphragmatis contractionem vna cum musculorum intercostalium actione (§. anteced.), aliae adhuc accedunt vires pectus dilatantes, vt musculi scaleni, mastoidei, trapezii, ceruicales descendentes et alii quae eleuationi thoracis inseruiunt. Confr. Perill. de HALLER in primis lineis Physiolog. §. CCLXXXI.*

## §. XX.



## §. XX.

Hoc iam modo dilatata pectoris cauitate (§. §. XVIII. XIX) aër in pulmonibus contentus ob suam elasticitatem (§. XVI) quaquaversus se extendit, pulmones expandit, et ita ipse in maius spatium venit et rarefit (§. XVII). Cum vero aër in pulmonibus rarefactus, aëri externo resistere nequeat, hinc iste pressus ab incumbentibus superne columnis, pressus a lateralibus, pulmones subeat, necesse erit. *Et ita inspiratio perficitur.*

Modus quo  
absolvitur  
inspiratio.

## §. XXI.

Quod iam vero ad expirationem, siue aëris expulsi-  
onem, attinet: *illa ita absolvitur, quando diaphragmate relaxato, atque ad pristinam suam curvaturam reducto, muscoli abdominis agere incipiunt; quorum actione conuexitas abdominis disparescit propiusque ad planum venit.* Quo necessario fieri debet, ut visceribus abdominalibus retrorsum, sursumque contra diaphragma impulsis, thoracis cauitas iterum imminuatur. *Increscit adhuc ista pectoris constrictio, dum costis detractis illius diameter tam perpendicularis, quam illa breuior fit, quae a costis dextris ad sinistras, et a sterno ad vertebrae describitur.* Pulmones ab aëre antea distenti nunc premuntur et itaque aëris notabilis quantitas expellitur, quae *expul-*

Quomodo  
expiratio?

*sio ab ipsis bronchiis vi fabricae suae musculosae, adiuuatur.*

§. XXII.

taenam vis aliae expirationi valiori adhuc cedunt?

Maiorem inspirationem (§. XIX) validior exspiratio sequi obseruatur. Hinc praeter vires §. antec. descriptas, adhuc aliae cauum thoracis angustantes, aëremque e pulmonibus expellentes accedere debent; *et hae sunt musculus sacrolumbaris, latissimus et quadratus.*

§. XXIII.

cholion.

Praemissis iam illis, quae ad vsus praesentes de pulmonum fabrica et respirationis functione erant praemittenda, nunc propius ad propositum meum accedo, catarrhi suffocatiui notionem, effectus, et causas euoluturus.

§. XXIV.

paralysis in pulmonibus possibilis.

*Fieri potest, vt in pulmonibus paralysis oriatur.* Ex pathologicis enim constat, paralysis esse morbum, quo non nisi nerui et fibrae musculares afficiuntur. Sed istae partes pulmonum compositionem ingrediuntur (§. §. VII. VIII. IX et XII). Quin ergo in pulmonibus paralysis quoque possibilis sit, dubitari nequit.

Debilitatis, qua partes solidae afficiuntur diuersos gradus, hosque aestimandos esse ex effectibus quibusdam sensibilibus, Pathologia praecipit. Ille iam gradus debilitatis in partibus muscularibus et nerveis, vbi istae vel sensu vel motu contractili, vel vtroque carere videntur.

videntur, notionem *paralysis* suppeditat. *Confr. Perill. L. B. v. SWIETEN Commentar. in M. BOERHAAVII aphor. §. 1057.*

§. XXV.

Quod si iam actu ipso contingat, vt pulmones tanta debilitate afficiantur, quanta *paralyfi* attribui solet: nascitur tunc morbus nomine *catarrhi suffocatiui* insigniendus. Commode itaque definiri poterit *catarrhus suffocatiuus* per *paralyfin pulmonum*.

Definitio e  
tarrhi suffi  
catiui.

Sicuti huius definitionis realitas ex §. anteced. satis manifesta est: ita ex sequentibus quoque intelligere licebit, quod illa non solum respondeat vsui loquendi, sed etiam apprime inseruiat hisce perspicue explicandis, quae de morbo isto dirissimo per observationes constant.

§. XXVI.

*Catarrhi suffocatiui sedes in arteria aspera et bronchiis praesertim erit;* siquidem in istis partibus fabrica muscularis et neruea magis obtinet, quam in reliqua pulmonum substantia. (§. §. VII. VIII. IX et XII).

Huius mori  
sedes.

§. XXVII.

*In catarrho suffocatiuo perquam facilis est bronchiorum, immo etiam arteriae asperae repletio, a muco facta.* (§. §. XXV et XXVI).

Eiusdem e  
fectus  
bronch. et ar  
ter. aspera.

§. XXVIII.

Sine vl'o incommodo succedens respiratio a non impedito aëris per asperam arteriam in pulmones, et

A catarrh  
suffocatiuo  
dependet dy  
spnoea.

e pulmonibus in asperam arteriam dependet transitu. Sed in catarrho suffocatio bronchia et arteria aspera a mucō replentur (§. XXVII); inde liber aeris in pulmones ingressus, illiusque ex pulmonibus exitus intercipitur. *Tunc adeoque respiratio difficilis adsit, oportet.*

## §. XXIX.

Respiratio  
stertorosa.

Dum in aegris ex catarrho suffocatio bronchiorum et arteriae asperae repletiones a mucō fiunt (§. XXVII); sequitur, vt *iisdem stertores inter respirandum oboriantur*, siue *illis sit respiratio stertorosa*. Mucō enim in bronchiis coaceruato, aer sub respiratione per canalem fluido repletum fertur, vnde illud simul moueri, hocque modo sonus aquae ebullienti similis produci debet.

## §. XXX.

Defectus tuf-  
fis.

Omnis tussis vehementem requirit expirationem; pulmones adeoque cum impetu quodam aërem extrudere debent (§. XXI). Quod neququam fieri potest in catarrho suffocatio ob paralyticam debilitatem pulmonum (§. XXV). *Vnde iam conficitur, in catarrho suffocatio vel nullam, vel saltem exiguam adesse posse tussim.*

## §. XXXI.

## §. XXXI.

Ex respiratione laesa a difficili aëris in pulmones per bronchia ingressu, illiusque ex iisdem exitu metus suffocationis oritur. Huius vero conditionis est respiratio in catarrho suffocatio (§. XXVIII). *Subiecta igitur huic morbo obnoxia periculum suffocationis subire debent; idque eo magis, quo difficilior aëris per bronchia transitus fuerit.*

Metus suffocationis.

## §. XXXII.

In casibus admodum praecclusae respirationis congestiones versus caput determinantur; id praecipiente Pathologia. Quam ob causam neque in catarrho suffocatio deficient istarum versus caput congestionum phaenomena (§. XXVIII): quorsum pertinere possunt *temulentia capitis, splendor vitreus oculorum, facies turgida.*

Congestio-  
num vers  
caput va  
effectus.

## §. XXXIII.

Quoniam etiam extensio paralyseos ab vna parte ad alteram haud impossibilis est (per princip. patholog.): ideo iam fieri poterit, vt a bronchiis ad laryngem, a partibus internis ad externas, musculos nimirum thoracis, paralytica debilitas transeat. Atque tum asthma defectuum catarrho suffocatio adhuc accedet; id docente Pathologia. Ex quibus itaque colligere licebit, *fieri posse, vt a catarrho suffocatio* (§. XXV)

Asthma d  
fectuum.

(§ XXV) *asthma defectiuum producatu*r, atque idcirco *status aegri multo deterior reddatur*.

§. XXXIV.

apoplexia.

Si nunc illa rite ponderantur, quae modo dicta erant in §. §. duobus proxime antecedentibus: cognosci inde poterit, *quod etiam a catarrho suffocatiuo apoplexia determinari possit*; utpote quae nihil aliud est, quam paralyfis vera vniuersalis, vbi simul tantae vasorum in encephalo suboriri solent distensiones, ut partim, neruis ad suas origines compressis, illorum actiones impediuntur, partim lethiferae feri vel sanguinis ibidem fiant extrauasiones (per princip. Patholog.). Vtrumque vero fieri posse ex §. §. modo citatis satis perspicuum est.

§. XXXV.

incremen-  
tum morbi  
ingruente  
tempestate  
humida.

Aër humidus relaxat fibras corporis humani, talisque illarum relaxatio pro primo quasi gradu debilitatis haberi poterit (per princip. Patholog.). Aëre igitur humido, per inspirationem admissio ad pulmones iam debilitatos in aegrotantibus ex catarrho suffocatiuo, necesse erit, ut morbus increseat. Quo plures enim caussae efficientes ad vnum effectum producendum concurrunt, eo maior etiam ille erit. Vnde iam sequitur, *ingruente tempestate humida augeri quoque insultus catarrhi suffocatiui*.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Quoniam porro per experientiam constat, aërem <sup>Tempore nocturno</sup> tempore nocturno magis humidum esse: *non poterunt ergo non incrementa insultuum catarrhi suffocatiui circa noctem fieri* (§. anteced.).

## §. XXXVII.

*Fieri potest, ut sub ortu catarrhi suffocatiui spasmus afficiatur pars arteriae asperae suprema: id quod si contingat, respirandi difficultas una cum metu suffocationis increfcere debebit.* Hoc enim saepius euenire Pathologia docet, vt ob paralyfin in parte quadam subortam suboriat in alia cum priore connexa spasmus. Quoniam itaque catarrhus suffocatiuus pulmonum paralyfin constituit (§. XXV), eamque magis referendam ad bronchia et arteriam asperam (§. XXVI): tunc omnino fieri poterit, vt paralyfi affectis bronchiis iisque proxima parte arteriae asperae, huius pars superior a spasmus corripatur. Sed hoc modo impedimentum alterum alteri accedit (§. XXVIII), quo minus expedite in pulmones intrare possit aër, ex iisdemque iterum egredi. Quare iam rebus sic comparatis magis difficilem fore respirationem, insimulque longe maiorem metum suffocandi, patet (§. XXXI et XXVIII).

Ortus spasm  
laryngis, hu  
iusque effe  
ctus in catar  
rho suffoca  
tiuo.

C

§. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Vires abiectae  
in catarrho  
suffocatio.

*In decumbentibus ex catarrho suffocatio praesentissima virium prostratio adesse debet.* Ex Pathologicis constat, virium prostrationem in morbis paralyticis necessariam esse, et quasi in instanti organorum vitalium affectus sequi. Sed iam ad paralytes pertinet catarrhus suffocatiuus, vbi pulmones nec non cerebrum et cerebellum (§.§. XXV et XXXII), adeoque partes affliguntur, quae ad organa vitalia referri solent; id praecipiente Physiologia. Vnde satis perspicuam esse puto propositionem.

## §. XXXIX.

Periculum et  
duratio morbi.

*Catarrhus suffocatiuus est morbus periculosissimus, et breuis decursus.* Periculum in morbis eo maius est, quo magis actiones vitales laeduntur. Sed harum actionum insignes quaedam laesiones oboriuntur in catarrho suffocatio (per demonstrat. §. anteced.). Ex hoc igitur morbo aegrotantium vita valde periclitabitur. Neque tam longae durationis esse poterit iste morbus; siquidem de vita aegri mox actum erit, nisi subito stasibus ad pulmones discussis et muco ex bronchiis euacuato, imminens suffocatio prompte dispellatur: quod ob tussim imminutam vel plane deficientem (§. XXX), perfici non poterit. Qua  
de



de caussa nullum dubium est de veritate huius afferti.

§. XL.

Variis catarrhi suffocatiui qualitibus hucusque Scholion. propositis, nunciam peruenio ad causas illius considerandas. Quo in negotio expediendo eandem sequarationem, quam circa momentum prius obseruavi. Conabor itaque ope eiusdem definitionis de catarrho suffocatiuo (§. XXV), notissimis quibusdam principiis pathologicis in subsidium vocatis, causas huius morbi perscrutari, cum obseruationibus tandem singula disputata collaturus.

§. XLI.

Catarrhus suffocatiuus est paralyfis pulmonum (§. Catarrhi suffocatiui causae quales generantur. XXV); consequenter *omnes causae, quae paralyfin generatim producere valent, in relatione ad pulmones catarrhum quoque suffocatiuum ingenerare poterunt.*

§. XLII.

Congestio est nimia fluidi cuiusdam in quadam Ad huius morbi causas pertinent in specie congestiones verius peccus. parte coaceruatio, a qua iam vasa distenduntur, debilitantur, vel etiam atrocissimi spasmi determinantur, quos deinceps insignis debilitas partium affectarum insequi solet (per princip. Patholog.). Si itaque eiusmodi congestiones versus pulmones fiunt: contingere tunc poterit, vt ibidem quoque producta debilitas ad eum

eum gradum increſcat, quo opus eſt ad paralyſin. Nam quod ad gradum morbi in genere attinet, ille toties intenditur, quoties vel cauſſa magnitudine excedit, vel in parte affecta iam quaedam adefſt diſpoſitio. Ex adductis ergo patet, *congeſtiones verſus pulmones catarrhum ſuffocatiuum producere poſſe* (§. XXV).

## §. XLIII.

Phthiſis pul-  
monalis.

Phthiſici vlcus quoddam habent in pulmonibus (per princip. Patholog.). Materia ideoque vlcerofa vaſa bronchialia diſtendere, immo etiam ob ſui prauam qualitatem deſtruere valebit, quibus inde non poterit non inſignis quaedam debilitas inferri. Vt de eo nihil dicatur, quod ad laeſos pulmones augeatur quoque humorum affluxus, catarrhi ſuffocatiui cauſſa (§. anteced.). Quare et *phthiſici catarrhum ſuffocatiuum facillime concipere poſſunt* (§. XXV).

## §. XLIV.

Catarrhi.

Post ſuppreſſam tranſpirationem catarrhus oriri ſolet, vbi feri excrementitii delationes ad alia loca fe-roſa corporis fiunt; id commonſtrante Pathologia. Quod cum ita ſe habeat, fieri tunc quoque poterit, vt hoc ferum ad vaſa bronchialia determinetur, ibidem-que nimis accumulatum illa valdopere diſtendat, at-que ad eum gradum debilitet, quem paralyſis ſibi vindicat. Quo facto neceſſarius tum erit catarrhus ſuf-  
foca-

focatiuus (§. XXV). *Huic itaque morbo subiecta ad catarrhos procliuia, prae aliis erunt obnoxia.*

## §. XLV.

In casu exanthematum retropulsorum praecipue serosorum materia ad loca interiora determinari, idque etiam ad bronchia fieri poterit (per princip. Patholog.). Huic vero materiae acrimonia quaedam inest, vi cuius vasa bronchialia ita debilitari possunt, ut facile fiant paralytica; praecipue si copia ipsius materiae tanta simul fuerit, ut inde producta in bronchiis distensio valdopere increseat. Atque ita *intelligitur, quomodo exanthemata retropulsa catarrhum suffocativum producere queant* (§. XXV).

Exanthematum retgressiones

## §. XLVI.

Infantes habitu corporis plerumque laxo gaudent, atque ideo ipsis debilitas quasi connata haud immerito attribuitur. Quando iam huic debilitati causae aliae accedunt, quae illam in bronchiis augent, quales infantibus frequentissime accidunt in difficili dentitione, tussi, mala affectione ventriculi, intestinorum, mesenterii aliisque morbis, a quibus fluida versus pulmones impelluntur: facilis tunc esse poterit ortus catarrhi suffocativi (§. §. XXV et XLII). Quare *aetas infantilis huic morbo prae aliis subiacebit.*

Aetas infantilis.

## §. XLVII.

etas senilis.

Senibus quoque debilitas corporis connata adhaeret; quamvis ex alio fundamento, quam infantibus. Sub accessionibus itaque aliarum caussarum *in senibus facile determinabitur catarrhus suffocativus*. Ad istas caussas praecipue spectant languida transpiratio, tussis habitualis, feri acrimonia, asthma et insultus apoplectici.

## §. XLVIII.

debilitas.

Subiecta obesa non minus habitum corporis laxum habent: *in obesis adeoque ortus catarrhi suffocativi facillimus erit*, concurrentibus caussis enarratis in §. XLVI. et XLVII.

## §. XLIX.

Catarrhi suffocativi historia.

Ad lapidem lydium, experientiam puto, haec omnia nunc iam erunt reuocanda, quae de catarrho suffocativus haecenus sunt praedicata. Postulat id rei ipsius necessitas. In theoria enim medica eo semper respiciendum est, ne illam ingrediatur, quidquid observationibus repugnat; alias perniciosissimis erroribus ad artem salutarem facillime patebit via. Sed attente versantibus ante strata aegrotantium licuit iam sequentia phaenomena observare in correptis ab illo morbo, quem catarrhum suffocativum vocant. Difficul-

cultas respirandi tanta saepius adest, vt iam iam imminere videatur plenariae suffocationis momentum. Vix conatus quidam ad tussendum deprehenduntur, idque maximum in detrimentum aegri; quippe qui eo citius suffocatione perire solet, quo magis deficit tussis. Corporis insensibilitas saepius tanta est, vt aeger instar syncoptici iaceat. Pulsus admodum debilis saepiusque intermittens percipitur. Stertores continui sub respiratione exaudiuntur. Facies in aegro turgescit, oculi splendent, non secus ac si humore quodam aqueo pelucido repleti essent. Miser de capitis temulentia et virium defectu conqueritur. Quandoquidem etiam contingit, vt duritiem quamdam circa laryngem in decumbente ex morbo isto atrocissimo deprehendere liceat.

## §. L.

Docuit praeter haec experientia, catarrhum suffocatum morbum esse perquam frequentem subiectis Eiusdem continuatio. obesis, phlegmaticis, continuo vtentibus aëre humido, in quibus exanthemata regrediuntur; porro infantibus, senibus; deinde etiam superuenire affectibus catarrhalibus, paralyticis, apoplecticis, asthmaticis, phthisi pulmonali, morbisque aliis, quibuscum vehementes pertinacesque congestiones versus pectus sunt coniunctae; tandemque coelo pluuioso et circa noctem

noctem semper exacerbari, atque intra breue tempus solui.

§. LI.

Contingere vero solet huius morbi solutio vel per reditum sanitatis, praesertim muco ex bronchiis ope tussis prompte eiecto, aut aliis excretionibus naturalibus notabiliter auctis; vel per transitum in alium affectum paralyticum; vel per mortem, vbi miser suffocatione interimitur, plerumque stipata insul-tibus apoplecticis.

Singula haec momenta descriptae historiae catarrhi suffocatiui (§. §. XLIX. L et LI) in aegris obseruandi frequens mihi erat occasio. Facile iam hisce praebebunt assensum suum omnes, quotquot attenti ante strat aegrotantium versantur. Conueniet tamen idem testimonii magnorum in arte virorum magis confirmare. Quam in rem confr. *illustr. b. m. HOFFMANNVS in Medicin. rat. syst. tom. III. sect. I. Cap. III. §. XXXIX. et sequ. Cap. IV. §. XXXVII. sequ. Cap. XVI. §. XIV et sequ. Cap. XVII. §. VII et sequ. Illustr. b. m. IVNCKERVS in Conspect. Therap. special. Tab. de catarrho suffocatiuo.* Sed ex iisdem locis citatis simul etiam apparet, asseri ibidem, quod in catarrho suffocatiuo paralytici quid insit pulmonibus. Vt itaque de consensu definitionis in §. XXV propositae cum usu loquendi inter medicos recepto nullum esse possit dubium Quod si iam haec omnia rite considerantur, quae historia catarrhi suffocatiui modo enarrata in se comprehendit: haud obscura tunc erunt signa praesentis in hoc morbo paralyticae debilitatis pulmonum, vnde reliqua mala proficiscuntur. Ab obseruatis igitur recte abstracta

usdem  
ntinuatio.

abstracta est notio catarrhi suffocatiui, superius enunciata (§. XXV). Liquida inde simul est ratio, cur haec ipsa definitio tam apta fuerit ad reliquas omnes affectiones morbi, nec non illius causas inueniendas; paucis modo principiis aliis in subsidium sumtis. Videndum nunc iam erit, vtrumne simili commodo applicari possit eadem definitio ad casum catarrhi suffocatiui in morbis acutis malignis, ad cuius contemplationem iam iam transgredior.

## §. LII.

Ex Pathologicis constat, oboriri nonnumquam morbos, qui celeriter decurrunt, actutum stipati periculo vitae aegri imminente. Huiusce indolis morbi ad *acutos* referuntur, quibus opponi solent *chronici*.

Definitio morbi acuti et chronici

## §. LIII.

Neque minus Pathologia docet, dari morbos, quibus corpora obnoxia talem in se continent materiam, cuius translatione facta ad alterius corpus, in hocce similis morbus producat. Descriptae nunc indolis morbi *malignorum* numerum subeunt, in oppositione ad *benignos*.

Definitio morbi maligni et benigni.

## §. LIV.

Omnes morbi acuti maligni cum febre quadam incedere obseruantur. Febris vero, in qua natura morbi acuti maligni deprehenditur, febris maligna

Morbi acuti maligni quae forma incedunt.

D

audit.

audit. Hinc *omnes morbi acuti maligni sunt febres malignae.*

§. LV.

omnia fe-  
brium gene-

Febres antequam plenarie soluuntur, ratione suorum symptomatum, intra hocce tempus vel cessant, vel imminuuntur, siue remittunt, vel denique in eodem vigore perseverant, siue cessare, siue imminui nesciunt; id commonstrante Pathologia. Vnde iam *tria febrium genera* oriuntur. Primum genus *febres* in se comprehendit *intermittentes*; secundum *continuas*; tertium *continentes*, siue *continuas non remittentes*.

§. LVI.

definitio fe-  
bris mali-  
nae.

*Febres* adeoque *malignae* definiri poterunt per febres continuas acutas, indolem morbi maligni habentes (§. §. LII. LIII. LIV et LV). Ista enim febres generi continuarum subesse, ex Pathologicis abunde constat.

§. LVII.

chellion.

Vt iam propositum meum exsequar, distincta nimirum ratione explicaturus genesin catarrhi suffocatiui in morbis acutis malignis, proponendae adhuc erunt ex Pathologia febrium malignarum non nullae affectiones, quae aptius expediendo argumento inseruiunt.

§. LVIII.



## §. LVIII.

Extra omnem vero dubitationem positum est, quoscumque morbos malignos ad fluida, eaque putrefacta, esse referendos; id docente Pathologia. *Vnde etiam sequitur, in febris malignis massam humorum praecipue lymphatico-serosorum putridae indolis esse.*

In febris malignis putrefactio humorum.

## §. LIX.

Sed inest simul febris malignis natura morbi acuti (§. LVI). Quare hic necesse erit, vt *putrefactio humorum gradu emineat*; alias non fieret, vt istae febres tam cito decurrant, statim iunctae periculo vitae aegrotantium. Vtrumque vero postulat notio morbi acuti (§. LII).

Eaque in eminenti gradu.

## §. LX.

Massas valdopere resolui, putrefactione in iisdem ad eminentem gradum suborta chemia multis exemplis commonstrat. Quia igitur in febris malignis fluida putrescunt (§. LVIII), et quidem in eminenti quodam gradu (§. anteced.): non poterit non inde simul colligi, *febris malignis obnoxiorum humores esse non mediocriter resolutos, siue rarefactos.*

Cui rarefactio accedit.

## §. LXI.

februm ma-  
gnarum  
caussa proxi-  
ma.

Porro. Omnia februm malignarum symptoma-  
ta ex massae humorum, praecipue lymphatico-seroso-  
rum putrefactione, insimul sibi iuncta illorum rarefa-  
ctione perspicue explicari possunt; id tradente Patho-  
logia. Haec igitur *prauas fluidorum qualitates*, de  
quibus iam dubitari nequit (§. §. LVIII. LIX et LX),  
*fore causam proximam februm malignarum*, conse-  
quens erit.

Ortus huius causae februm malignarum, alias supponit causas, quae  
*remotae* dicuntur. Cuius numeri esse possunt contagium, vitia re-  
rum sex non naturalium, pluraque alia. Confr. *Excell. D. D.*  
LVDOLFF *Diss. de imped. circa solut. febr. mal. max. salut. obuiis Hal. 1758.*

## §. LXII.

illarum fo-  
rtio saluta-  
ris.

De februm malignarum solutione salutari testa-  
tur experientia, clarius praecipit Pathologia, illam ex  
voto succedere, rite obortis excretionibus naturali-  
bus, quarum ope materia putrida e corporibus aegro-  
tantium exterminatur. Inter haec excretiones praec-  
ipuum sibi locum vindicat moderata diaphoresis.  
Quam in rem confr. *Excell. D. D. LVDOLFF l. c.*

## §. LXIII.

Materiae ma-  
gnae aptitu-  
o ad paraly-  
in.

Saepe saepius contingere solet, teste experientia,  
vt in morbis acutis malignis ad certa loca corporis  
depo-

deponatur materia, siue huius metaptoses ibidem oboriantur. Atque tum varii in istis partibus morbi nascuntur, quos inter paralysis quoque pertinet. Confr. *Perill. L. B. v. SWIETEN l. c. §. 1060.*

## §. LXIV.

Legitima igitur erit consequentia, quae iam ex §. anteced. deducitur, *fieri nimirum posse, vt ex materia in morbis acutis malignis ad pulmones translata, ibidem etiam oriatur paralysis*; atque ideo *catarrhus suffocatiuus* (§. XXV).

Possibilitas  
catarrhi suf-  
focatiui in  
morbis acu-  
tis malignis.

## §. LXV.

Aegrotantes ex morbo acuto maligno periculum catarrhi suffocatiui tunc subire obseruantur, quando in iisdem materiae putridae excretionibus per spiracula cutis intercipiuntur. Fieri id solet a causis externis, quorsum refrigeratio, et alia ad corpus admissa pertinent, quae ad spasmus cuti inducendum valent. Neque hic deficiunt variae causae internae, quarum potissimum vi cortex corporis exterior constringitur. Huc exempli loco spectant plethora, pertinacia molimina haemorrhagica, haemorrhagiae efferae, variatubi cibarii incommoda, graues in locis interioribus corporis congestiones, copia atque intensior exanthematum malignitas, vnde vehementer irritatis fibris cutaneis, nonnumquam adeo perniciosus spasmus pe-

Quando ille  
oritur teste  
experientia.

riphericus concitatur, vt illum mox excipiat catar-  
 rhus suffocatiuus; id praesertim docentibus illis casi-  
 bus, vbi etiam sub ipsa exsiccatione morbillorum et  
 variolarum enecari solent aegri. Confr. *III. b. m. HOFF-*  
*MANNVS l. c. tom. III. Sect. I. cap. X. §. XXIX sequ.*

§. LXVI.

Illius ortus  
 quomodo  
 concipien-  
 tus?

Quod si iam dicta in §. anteced. cum illis con-  
 ferantur, quae in §. §. XLIV et XLV erant proposita:  
 non poterit non inde colligi, *catarrhum suffocati-*  
*uum in morbis acutis malignis simili modo determi-*  
*nari, prout idem fit in scabie retropulsa, atque aliis*  
*affectibus catarrhalibus chronicis.*

§. LXVII.

Quando ac-  
 celeratur?

*Si quoque vna atque altera determinatio, quam*  
*alias constitit causam fieri catarrhi suffocatiui, si-*  
*mul obtineat in corpore nunc iam decumbentis ex mor-*  
*bo acuto maligno: necesse tunc erit, vt etiam catar-*  
*rhi suffocatiui ortus facilius promoueatur.* Certum  
 enim esse, quam quod certissimum, Pathologia do-  
 cet, quod corpori morbus quidam facilius ingenere-  
 tur, dispositione vel causis aliis ad eundem concur-  
 rentibus; in idem constanter consentiente experien-  
 tia. Sed huius iam sunt conditionis casus, quos in  
 se comprehendit propositio. Cuius adeoque verita-  
 tem liquidam esse inde conficitur.

§. LXVIII.

## §. LXVIII.

*Hoc igitur loco peculiarem considerationem me-* Confectari-  
*rentur omnes illi casus, qui enarrantur in §. §. XLII.* um.  
*XLVIII.*

## §. LXIX.

*Necesse etiam erit, ut catarrhus suffocativus,* Saeuities ca-  
*qui morbo cuidam acuto maligno accedit, gravitate* tarrhi suffo-  
*symptomatum et periculo superet omnes alios casus,* catiui in mor-  
*ubi ille aequae corpori ingenerari solet.* bis acutis ma-  
lignis.  
Propositio-  
nis huius veritas actutum elucescet, quam primum  
commonstratum fuerit, plures hic adesse causas, eas-  
que grauiore, quam quae deprehendi solent in catar-  
rho suffocatiuo, orto sine morbi cuiusdam acuti ma-  
ligni concursu. Quod vero iam ita conficitur. De  
quolibet catarrho suffocatiuo, adeoque etiam  
illo, qui absque aliquo morbo acuto maligno con-  
currente suboritur, iam praedicari debet, quod ibi-  
dem adsint incommoda respirationis, varii effectus  
congestionum versus caput, virium iactura (§. §.  
XXVIII. XXXII XXXVIII et XLIX). Sed ex Patho-  
logicis satis superque constat, non destitui morbos  
acutos malignos nunc modo enarratis symptomati-  
bus. Quod vero praesertim ad virium prostrationem  
attinet: illa in morbis acutis malignis ob mas-  
sae humorum putrefactionem et rarefactionem (§. §.  
LVIII

LVIII et LX), in tanto gradu saepius oboriri solet, vt vix alium morbum adesse constet, quocum ille hac in re comparari possit. Ex adductis adeoque patent incrementa symptomatum. Quoniam tandem catarrhus suffocatiuus, iam per se consideratus, ad morbos periculosissimos pertinet (§. XXXIX), atque hoc nomine omnes quoque morbi acuti maligni notari merentur; id praecipiente Pathologia: hinc etiam necesse erit, vt, catarrho suffocatiuo morbis acutis malignis superueniente, vita aegrotantis multo magis periclitetur.

## §. LXX.

*Neque ideo mirum erit, cur aeger tam cito succumbere debeat, catarrho suffocatiuo morbis acutis malignis superueniente (§. anteced.)? idem probante experientia.*

## §. LXXI.

*Ad morbos denique acutos omnis catarrhus suffocatiuus referrri debet, atque in primis ille, qui morbo cuidam acuto maligno superuenit. Quia enim omnis catarrhus suffocatiuus breuis est durationis, neque periculo vacat (§. XXXIX): hinc etiam ille numerum morborum acutorum subeat, necesse erit (§. LII). Cum vero catarrhus suffocatiuus, qui ad morbum quemdam acutum accedit, periculo praereliquis emineat (§. LXIX):*

Confestarium.

Catarrhus suffocatiuus an sit morbus acutus?

LXIX): igitur haud immerito peracutum dicere poteris, vel eundem maxime ad acutos morbos referes.

§. LXXII.

*Quidquid itaque de morbis acutis per eminentiam talibus praedicari poterit: illud quoque de catarrho suffocatiuo in morbis acutis malignis valebit (§. anteced.).*

Confecari-  
um.

§. LXXIII.

Cum etiam periculum in mora sit, subortis in corpore morbis peracutis, e quorum numero iam est catarrhus suffocatiuus, qui morbo cuidam acuto maligno superuenit (§. LXXI): sequens iam inde regula practica fuit: *tempestiue curandum esse, vt iste atrocissimus morbus in aegrotantibus ex morbo quodam acuto maligno praecauetur, vel si iam adfuerit, ocysime discutiatur*; ne sero medicina paretur.

Aliud.

Quod quo perfici debeat modo, de eo iam differendum erit in capite sequente.



E

CAPVT II.



CAPVT II.

DE

CVRATIONE  
CATARRHI SVFFOCATIVI  
IN MORBIS ACVTIS MALIGNIS.

---

§. LXXIV.



undamen-  
um curatio-  
is.

*Methodus medendi catarrho suffocatio superuenienti morbis acutis malignis ita erit adaptanda, vt ad illum discutiendum remedia certi celestisque effectus adhibeantur, hac tamen ratione, ne inde morborum acutorum malignorum, quibus accesserat, salutaris solutio impediatur.* Applicatis enim in casu proposito remediis, de quibus quidem constitit, illa exoptatae fatisque promptae efficaciae esse in catarrho suffocatio, illorum tamen vsu produci impedimenta salutaris solutionis morborum acutorum malignorum, aegrum tunc morbo succumbere oportebit, ob pessimas alias in illius corpore inde determinatas mutationes. Numquam vero in morborum sanationibus ita procedere licebit, vt, dum vnum morbum



bum e medio tollere conatur Therapeuta, alter aegro fiat lethifer; siquidem Therapiae nullus alius finis est, quam aegrotantem ad pristinam sanitatem perducere, vel si hoc ob essentiam et naturam morbi fieri non poterit, illius vitam conseruare, idque quo diutius, eo melius. Ex quibus iam satis intelligi poterit, quantum cum veritate consentiat propositio.

§. LXXV.

Quare ex §. anteced. conficere licebit: *determinatam methodum medendi catarrho suffocatiuo, in morbis acutis malignis obuio, inueniri, accurate inter se instituta comparatione omnium regularum et remediorum, siue indicationum et indicatorum, quae sanatio tam catarrhi suffocatiui, quam morborum acutorum malignorum sibi vindicat; communibus tuto usurpandis, propriis vero ita seligendis, ne applicata noceant salutari morborum acutorum solutioni.*

Vltior eiusdem argumenti euolutio.

Apparet exinde, quantopere opus sit, vt solida morborum et doctrinae therapeuticae cognitione instructus compareat ante strata aegrotantium, qui horum saluti recte consulere velit. Vt vero simul constet, quod in duobus istis §. §. proxime antecedentibus totum fundamentum contineatur, cui superstruenda est morbi tam atrocis curatio, rationi et experientiae plane congrua: consultum fore iudicauit, sequentia adhuc in medium proferre, vt eo facilius componi possit methodus medendi specialissima, in hocce casu arduo cum fructu adhibenda.

## §. LXXVI.

Morborum acutorum malignorum solutiones salutare euenire solent; rite succedentibus excretionibus naturalibus, per quas materia maligna ex corpore eliminatur, praesertim vero moderata diaphoresi subortata (§. LXII). Sed in illo statu corporis, ubi auctior transpiratio adesse deprehenditur, fluida magis aequaliter per vasa erunt distributa; ita, vt tunc neque tantopere coaceruata esse possint in peculiaribus quibusdam locis corporis. Vnde porro conficitur, quod ad pulmones, paralytica debilitate affectos, humorum congestio increfcere, atque ideo in bronchiis et arteria aspera augeri nequeant mucii repletiones, productrices difficilis et stertorosa respiracionis (§. §. XXVII. XXVIII et XXIX). Hinc iam vltcrius sequitur, discuti simul metum suffocationis, oborta liberiore respiracione (§. XXXI). Quibus omnibus recte consideratis, patet: *regimen aegri temperate diaphoreticum iuuare salutarem solutionem tam catarrhi suffocatiui, quam etiam morborum acutorum malignorum, quibus ille sese adiunxerat.*

## §. LXXVII.

Ob massae humorum in morbis acutis malignis putrefactionem eamque simul cum rarefactione connexam (§. §. LVIII et LX), opus hic erit determinata

utilitas regi-  
minis dia-  
phoretici.

Vfus acido-  
rum.

ta quadam fluidorum correctione. Praeter terrea simplicia, mucilaginosâ hic quoque conducunt acida; id docente Therapia. Sed acidis quoque competit vis fibras debiles roborandi, simulque efficiendi, vt nonnumquam tussis excitetur. Vtrumque iam erit proficuum in catarrho suffocatiuo (§. §. XXV. XXX. XLIX et LI). *Conueniet adeoque miseris, saepius dictae calamitati subiectis, potiones acidas liberaliter offerre.*

### §. LXXVIII.

Ex demonstratione §. LXIX. videre licet, dari in-<sup>Vfus deri-  
uantium.</sup> commodam respirationem, variosque effectus congestionum versus caput in catarrho suffocatiuo, ac in morbis acutis malignis. In singulis istis casibus humorum deriuationem in maximum emolumentum aegrorum indicat Therapia. *Multo magis igitur necessaria erunt remedia deriuantia in casu catarrhi suffocatiui, accedentis ad morbos acutos malignos; symptomatum acerbitate hic mirum in modum crescente (§. citat.).*

### §. LXXIX.

Quoniam vero Therapeutam oportet omnia in <sup>Sed qual-  
um?</sup> hocce periculosissimo casu ita perficere, ne vlllo modo impediatur morborum acutorum malignorum solutio (§. §. LXXIV et LXXV): neque igitur hoc lo-

co quaeuis deriuantia promiscue adhibere licebit, dum illorum quaedam efficere possunt, vt morbi acuti maligni funesto euentu terminentur. Quapropter necesse erit, *vt per regulas in §. §. m. c. propositas determinentur deriuantia, exoptato cum successu applicanda, factis catarrhi suffocatiui ad morbos acutos malignos accessionibus.*

Non incongruum erit, de hocce argumento explicatius dicere. Clysteres stimulant, aliaque remedia fortiora purgantia, in numero valide deriuantium continentur, quae quidem vtilia forent, si catarrhum suffocatiuum respicias, sed quam maxime nocebunt in relatione ad morbos acutos malignos. A quorum igitur vsu in nostro casu plane abstinendum erit. Remediis deriuantibus venae sectio quoque annumeratur. Haec in catarrho suffocatiuo salubrem celeremque effectum praestare solet, in morbis vero acutis malignis sine vlllo discrimine instituta, summae saepius est pernicii. Vnde iam in casu commemorato vel prorsus omittenda, vel priusquam adhibeatur, sollicitè exploranda erit conditio aegri, vt de statu morbi acuti, cui ille simul obnoxius est, certo constet, an tuto possit vena incidi nec ne? Atque huius loci praecipuum momentum erit, ad vires aegri et massae volumen attendere. Ad magis vero vniuersalia, atque in casu praesente tuto et salubriter vsurpanda remedia deriuantia pertinebunt vesicatoria ad suras applicanda, immo etiam frictions artuum: quae ideo numquam negligenda erunt.

§. LXXX.

## §. LXXX.

Frequentissimis etiam obseruationibus innotuit, sulphur antimonii auratum vltimae praecipitationis aegrotantibus ex catarrho suffocatiuo ad aliquot grana oblatum, perquam salubris efficaciae esse, et quasi specificè agere. Nam post huius remedii vsum oboriri deprehenduntur tussis, lenis vomitus, nonnumquam etiam moderata alui fluxio et transpiratio auctior, in maximum miserorum solatium. Cum igitur neque per has sensibiles mutationes, neque per mixtionem medicamenti, a quo illae in corpore aegrotantium produci solent, constare potest, quod inde morborum acutorum malignorum impediatur salutaris solutio: *tantum abest, vt in casu catarrhi suffocatiui hucusque disputato, nunc modo laudatum remedium reformidetur, vt potius summo cum fructu vsurpetur.*

Medicamentum quod specificum indicatur.

Quod ita commode fieri poterit, sulphure antimonii aurato vltimae praecipitationis ad aliquot grana remixto cum terreo quodam simplici et bezoardico fixiore, vel eodem addito pulueribus, siue potiunculis solitis in vsum vocari ad sanandos morbos acutos malignos, atque singulis horis hoc medicamento aegrotantibus oblato. Quod si iam ad se rediisse videantur aegri: tunc illis parcius danda erit haec medicina.

## §. LXXXI.

Satis nunc quoque de catarrhi suffocatiui in morbis acutis malignis curatione differuisse mihi videor; adeo,

Scholion.

adeo, vt nihil a me praetermissum sit, quod aliquod momentum habere possit, in methodo medendi specialissima ex dictis componenda. Restare adhuc videtur, vt etiam de aegrotantium ex morbis acutis malignis defensione a catarrho suffocatiuo, siue de curatione sic dicta praeseruatoria agatur. Puto id negotii nunc facilius a me expeditum iri, cum etiam singula huius rei momenta in antecedentibus contineantur.

## §. LXXXII.

Curatio praeseruatoria.

Cum ex §. LXXVI cognoscere liceat, continuam moderatamque transpirationem periculum suffocationis in catarrho suffocatiuo iam praesente in morbis acutis malignis imminuere: non obstat quo minus etiam hac ipsa excretionem praecauetur morbus, ad cuius ortum in casu proposito materiae malignae percutis spiracula exhalandae, regressus ad pulmones requiritur (§. XLVI). *Ad catarrhum igitur suffocatiuum praecauendum in morbis acutis malignis eo studendum erit, vt aegri corpus in continua et moderata diaphoresi conseruetur; atque ideo simul horum morborum, quibus superueniret, salutaris solutio promoveatur (§. LXII).*

## §. LXXXIII.

## §. LXXXIII.

Qua de caussa necessum erit, *vt impedimenta salutaris transpirationis praecaueantur et tempestiue remoueantur.* Quatenam illa sint, ex supra dictis patebit. Atque inde simul intelligere licebit illas condiciones aegri, quae tanti mali suspicionem mouere possunt.

Confectarium.

## §. LXXXIV.

Salubritatem methodi huius medicinalis experientia multoties probauit. Cuius rei plura exempla a me enarrari possent; nolui vero in scribendo prolixior esse praeter necessitatem. Videor enim mihi omnia ad argumenti tractationem prolata ex geniuinis principiis deduxisse. Quibus etiam si L. B. assensum promerear, me tunc voti mei compotem factum esse sentiam.

Scholion



## CORRIGENDA.

§. VIII. lin. 2. leg. post *sensitissima*: ab innumerabilibus paruis acinis glandulosis in cellulosa (§. anteced.) fitis perforata.

§. XII. lin. 4. deleatur: paris sexti.

F

VIRO

VIRO IUVENI  
CLARISSIMO, DOCTISSIMO ATQVE HONORATISSIMO,  
DOMINO  
IOANNI GVTSLEFFIO,  
SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM  
CANDIDATO  
MVLTVM PRECATVR FELICITATEM  
D. HENRICVS CHRISTIANVS ALBERTI  
REG. MAL. PRYSS. CONSIL. AVL. PROFESS. PHYSIOL.  
ET BOTANICES.

*Non est, quod longe abeam, ac pluribus vsquequaque conquisitis rationibus ostendam, quid me causae impulerit, ut hoc, quicquid litterarum est, ad TE, CANDIDATE CLARISSIME, exararem, meumque TVI amorem studiumque TIBI ingenue declararem. Quum enim TE CANDIDATE DOCTISSIME, hac in Academia commorantem, et medendi scientiae vacantem non domo solum mea ac tecto huc vsque receperim, et Auditorem non minus frequentem, quam diligentem, in acroasibus meis botanicis habuerim: sed semper quoque mei et observantissimum, et cupidissimum cognoverim: magno sane mihi vitio verteretur, idque haud immerito, si die hac auspicata, qua, cursu studiorum TUORUM iam feliciter confecto, cathedram publicitus conscendis, consecuturus amplissima illa praemia, quibus Hygea diligentes atque indefessos sui cultores publice decorare et cohonestare consuevit, applaudentium TIBI votis votivas meas acclamationes laetabundus et gratulabundus non coniungerem. Gratulor itaque TIBI, CANDIDATE DOCTISSIME, et vere quidem ac sincere gratulor illam lauream, qua redimitus et decoratus ad patrios lares reverteris, et promeritum excellentis TVAE virtutis et ingenii praemium fers. Quamquam vero temporis angustia non sinit, ut in tuas meritas laudes excurram, praeclaras illas animi dotes, quibus inter aequales tuos exsplendescis, hic expromendo et deinceps enarrando: mihi tamen temperare non possum, quin aperte atque ingenue*



genue fatear, TE, CANDIDATE DIGNISSIME, haudquaquam, in Medicina addiscenda huius rivulos duntaxat, ut complurium mos perversus fert, consecratum esse, quod tardi ingenii plerumque esse solet, sed ipsos eius fontes adisse, atque indidem solida huius artis fundamenta deprompsisse, quibus certum et stabile Medicinae aedificium superstrueres. Namque omnibus illis studiis, quae prima eaque solida et firma fundamenta Scientiae Medicae iaciunt, velut saniori Philosophiae, Mathematici, Anatomiae, Chemiae et Physicae diligentem semper curam atque operam impendisti; unde haud mirum est, TE, CANDIDATE doctissime, hac in doctrina, prae multis aliis tuis commilitonibus, ita profecisse, ut perdoctam Tuam dissertationem, tuo solius Marte elaboratam, sine ullo praesidio defendere valeres. Quid? quod quum sentires, Medicum, in Medicina feliciter et fortunate faciendam, nihil fere quicquam, singulari laude dignum esse umquam consecuturum, nisi simul sufficientem stirpium, certe duntaxat earum, quarum usus maximus et huic doctrinae exercendae perquam necessarius est, cepisset cognitionem, ipsam quoque rem herbariam, adpectu non minus iucundam, quam scitu *Ἐξαπύτων* in curandis morbis pernecessariam, cum modo dictis studiis TIBI semper connectendam et addiscendam cogitare ratus es, haud sane immemor sanioris istius consilii, quod Galenus iam antiquitus omnibus *Φιλίππου* dederit, Medicus inquit, omnium stirpium, si fieri potest, peritiam habeat, consulo; sin minus, plurium saltem, et quibus frequenter utimur, *libr. I. cap. V.* Qua quidem ratione, quum rebus TVIS, CANDIDATE DOCTISSIME, tam recte consulueris non opus existimo TE hortari, ut ita pergas Mineruam Hygeam colere. Nihil itaque est, quod impensius voueo, quam ut isti summi honores, quos hodierna luce, omnium qui virtuti TVAE ac praeclarae eruditioni, iustum statuere pretium norunt, applausu, publice adsequeris, TIBI sint voluptati, splendidae TVAE familiae gaudio et ornamento, atque aegrotantibus solatio et auxilio. Seruet TE Deus et faxit, ut tantum Reipublicae diu viuendo et bene valendo inseruias, quantum TVAE virtutes de TE promittunt. De me vero existimes pervelim ac TIBI persuadeas, nihil mihi fore tantum, quod ego non TVA causa, quacunq; oblata mihi copia, facturum sim, cum studiose, tum libenter. Halae Saxonicae die XXX. Septemb. MDCCLX.

SVPREMIS IN MEDICINA HONORIBVS

C A N D I D A T O

DIGNISSIMO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

**E**go vero illius temporis, ex quo ad meam notitiam primum peruenisti, nunquam reminiscor absque animi mei oblectamento quodam singulari. Tunc enim mihi iam videbar in TE aliquid deprehendisse, unde mihi colligere licebat, TE illorum lectissimo numero esse accessurum, qui arti salutari et praeceptoribus, a quibus eam acceperunt, eximio fieri solent decori. Neque hoc euentu destituitur iudicium. Siue TE auditorem, siue amicum, siue mihi socium in persanandis aegris considerem: nullibi deesse sentio argumenta grauissimi ponderis, quibus nunc uti possem ad TE laudandum quam amplissime; ita profecto, ut integrae chartae laudibus Tuis destinandae essent, si pro mea de TE experientia, cuius copiam mihi tam abundanter dedisti, scribere permitteret temporis angustia. Capitulatim nunc igitur de TE dicam. Quam fida, quam polita, quantumque ideo mihi accepta erat amicitia Tua? Quantam industriam, quantam animi attentionem ad percipienda dogmata medica, quantumque simul studium adhibuisti ad illa connectenda cum certis humanae cognitionis principiis, quibus TV quoque praeclare imbutus es? Quanta cura, quantoque cum fructu aegrotantium saluti prospexisti? Quam praestans hoc quoque secundum est eruditionis Tuae specimen, quod iam publice edis, prope diem ex cathedra academica defensurus ut: lissini, nec leuis, nec tam pertriti argumenti dissertationem medicam proprio Marte elaboratam? Manifesto documento, TE et ad cognoscendum, et ad curandum valere, atque idcirco a vulgo medicorum probe distinguendum esse. Agedum itaque, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, felici iterum sidere conscende cathedram academicam, ibique semel partam gloriam magis confirma, auge! Vere nunc iam TIBI gratulor promeritam Doctoris dignitatem, in TE publice conferendam! Ut igitur ista honoris augmenta TIBI, TVIS et Reipublicae cedant quam felicissime! Haec iam est vera animi mei erga TE testificatio, AMICISSIME GVTSLEFF, cui adhuc certa persuasio accedit, me semper omnem daturum esse operam, ut in TE amando ornandoque nemini fiam secundus. Atque ita amicitiae Tuae nunquam non mihi percarae ego quoque commendatissimus esse volo, et nunc TE ex animi sententia valere iubeo! Dab. in Acad. Frider. III ante Cal. Octobr. MDCCCLX.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

AMICO OPTVMO CANDIDISSIMO

S. P. D.

D. IOANNES AVGVSTVS LIEBMANN.

**T**E non primoribus, ut aiunt, labris Medicinam et scientiam illi con-  
sanguineam, Chemiam puto, delibasse, luce meridiana clarius common-  
stratum dedisti. Loquitur illud, egregium specimen, quod iam, pro impe-  
tranda Doctoris dignitate, publici iuris fecisti: restatur hoc ingeniosissima  
dissertatio chemica, quam sub tutela excellentissimi atque experientissimi D.  
D. NIETZKI, Praeceptoris nostri aeterna pietate suspicendi, aliquot ab-  
hinc septimanis animose propugnabas. Quibus haud vilioris momenti argu-  
mentum accedit, dexteritas scilicet T V A, quam in explorandis et tollendis  
aegrotorum adfectibus palam fecisti, quoties T I B I illorum cubilia inuisere  
dabatur. Rebus ita comparatis non possum quin florentissimae patriae  
T V A E granuler de Medico optima frugis, venerandoque P A R E N T I  
T V O de filio familiae ornamento et longaeuae senectutis delicio. Tan-  
tum abest, ut amicitia ductus subdolis T E blanditiis decipere enitar, ut  
potius quae dixi omnia cum veritate consentiant optime. E pumice enim  
aquam facilius prolicies, quam a me haud promerita amici encomia. Va-  
le et crede, nihil mihi fore gratius, quam si ita me diligere pergas, uti  
T E ego amabo. Dab. in Acad. Frid. die III Calend. Octobr. A. R. S.  
C1010CCLX.

VIRO  
PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
IOANNI GVTSLEFF  
MEDICINAE DOCTORANDO DIGNISSIMO

S. D.  
ERNESTVS THEOPHILVS RIESEMANN

REVALIA - LIVONVS.

I. V. C.

**N**ihil mihi vnquam gratius et iucundius contingere potuisset, quam quod  
ea, quam iamdiu exoptavi occasio nunc eueniat, **TIBI, AMICE SUA-**  
**VISSIME**, pietatem meam publice testandi. Quod enim inter nos a teneris  
vnguiculis intercessit **artissimum** amicitiae vinculum, cui sanguinis con-  
iunctio accedit, quodque consuetudo, quae mihi semper **TECVM** fuit, iu-  
cundissima, sustentauit; eadem patria, iidem Praeceptores, qui nos litteris  
humanioribus imbuerunt, haec omnia faciunt vt Tuam salutem meam cense-  
am, et vt omne faustum et fortunatum, quod **TIBI, AMICE OPTVME**  
accidit, mihi quoque accidisse arbitrer. Quare quum illustri medicorum or-  
dini placuerit, **TE** summis in Medicina honoribus augere, non potui non  
publice **TIBI** declarare, quanta laetitia ex hoc incremento salutis **TVAE** in  
me redundet. Gratulor **TIBI** ex animo de hoc diligentiae **TVAE** praemio,  
nec quidquam magis in votis habeo, quam vt Numen supremum **TE** in aegro-  
tantium solamen per longissimum temporis spatium conferuet, et consilia  
**TVA** ita semper dirigat, vt gloria sui nominis manifestetur, et saluti patriae  
nostrae prospiciatur. Ceterum me vti amas et in posterum ama. Vale.  
Dabam III ante Cal. Octobr. c1810ccclx.

VIRO  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
SYMOS IN MEDICINA HONORES MERITISSIME IMPETRATVRO  
DOMINO  
IOANNI GVTSLEFF  
AMICORVM PRAESTANTISSIMO, SVAVISSIMOQVE

\* \* \*  
S. D. P.

FRIDERICVS IACOBVS VOGEL, M. C.

POTSDAMPIENSIS  
OPPONENS.

**N**e specialis amicitiae familiaritatisque obseruantiam ac praecepta transgre-  
diar, CANDIDATE DIGNISSIME, minime vtique TE inpraesentiarum  
absque publico amoris vinculo dimittere possum, dum exantlatis nunc stu-  
diis TVIS academicis, secunda vice gloriose adscendis cathedram, strenue  
Dissertationem TVAM inauguralem defensurus, eoque ipso comprobaturus,  
laurea doctorali ob eximios in liberalibus artibus, praecipue salutari, Medi-  
cina nempe, profectus TE, AMICE SVAVISSIME dignissimum omnino  
esse. Thema, quod elaborasti, manifesto satis indicat, TE in anatomicis  
aeque ac reliquis medicinae partibus optime esse versatum, dum exactiorem  
catarrhi suffocatiui exhibes notitiam, tam theoreticam quam practicam.  
Demonstrasti hinc TE talem, qualem omnes mecum prouidebant, quot-  
quot TE, igneumque mentis TVAE vigorem, industriam, atque doctrinam  
norunt. Accipe itaque optime promerita praemia hodierna die TIBI con-  
ferenda. Seruet TE DEVS T. O. M. per longam annorum seriem sospitem  
atque incolumem; vt sis aegrotorum quam plurimorum refugium atque  
solatium. De reliquo persuasum TIBI, AMICE SVAVISSIME, habeas, me  
nihil gratius, nihil iucundius atque antiquius conseruaturum, quam me-  
moriā TVI. Viue, Vale, mihiqve Fauē. Dab. Halae ad Salam die  
XXX. Septemb. MDCCLX.



00A6282

ULB Halle


3

002 828 103



Rebo ✓







DE  
CATARRHO  
SUFFOCATIVO  
IN MORBIS ACUTIS MALIGNIS

\*\*\*\*\*

PRO GRADU DOCTORIS  
SOLLEMNITER IMPETRANDO

DIE XXX SEPTEMBRIS MDCCLX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DISSERT

AUCTOR

IOANNES GUTSLEFF

LIVONVS.



HALAE

STANNO SCHNEIDERIANO

B.I.G. Farbarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

